

ALPHABETICIS ORATIO

1744

ALPHABETICIS ORATIO

FERRICUS

SENIOR

PRINCE SAXONIAE, LITACI, CE

MAINE AGMONTIUM, ANDORATIO

HI THURINGIAE, MARCONIUM, CO

ITMITE MARCA ET RAVENNA, DE

MASTAIN RAVENNA, PRINCE

AC DOMINO SIO CEMIN

1744

In Gera Michaelis A. de

Academicos Jenerum saltes

Academicos Jenerum saltes

OTTO GUILIELMUS

KÖNIGSMARCK

J E W A

Typis Gesselti Bockmeyyadi



ILLUSTRISSIMO COMITI

AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI CHRIS-
TOPHORO KÖ-
NIGSMARCKIO, COMITI
VVESTER VVICKII ET STEGHOLMÆ,
DYNASTÆ IN ROTENBURG ET NEUHUS,
REGIÆ MAJESTATIS CORONÆQUE SVECIÆ SE-
NATORI, CAMPI MARESCHALLO ET DU-
CATUUM BREMENSIS AC VERDEN-
SIS GUBERNATORI

PARENTI MEO LONGE PROPITIO.

VENERANDE DN. PARENS,



nexplicabilis
magnitudo beneficio-
rum, quæ non modio
neque trimodio, sed to-
to horreo, ut Umber Comicus loqui-
tur, in me contulisti, animum meum

A 2 sæpi-

sæpiùs exstimulavit, quo Tibi indicinâ
aliquâ debitam & filialem meam grati-
tudinem publicè probarem. Hodie
fœcundam occasionem videor nan-
cisci. Orationem hanc auspicalem æ-
terno Tuo nomini inscribo, & ad pe-
des Tuos observantissimè depono. Su-
scipe illam paterno & innubi vultu,
majora in posterum audenda, si Deus
vitam concedet, à me expecta, & in
Troica secula quàm felicissimè vive,
quod est votum,

VENERANDE DN. PARENS,

devotissimi Tui Filii

OTTONIS GVILIELMI KÖNIGSMARCKII.

Handwritten text in a cursive script, likely a library or archival stamp, located at the top of the page.

SERENISSIME PRINCEPS AC
DOMINE, DN. GUILIELME, DUX SAXONIÆ,
JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, LANDGRAVIE THU-
RINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, COMES MARCÆ ET RAVEN-
SPURGI, DOMINE IN RAVENSTEIN,
PRINCEPS AC DOMINE CLEMENTISSIME.

SERENISSIMA PRINCEPS AC DOMI-
NA, DOMINA ELEONORA DOROTHEA, NA-
TA PRINCEPS ANHALTINA, DUX SAXONIÆ, JULIA-
CI, CLIVIÆ AC MONTIUM, &C. PRINCEPS AC DOMINA
CLEMENTISSIMA.

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DO-
MINI, DOMINI ERNESTI DUCIS SAXO-
NIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, ETC. LEGATE
EMINENTISSIME, ILLUSTRISSE ET CELSISSE PRIN-
CEPS AC DOMINE DN. BERNHARDE, DUX SAXONIÆ, Ju-
LIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, &C.

ILLUSTRISSE ET CELSISSE
PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE FRIDE-
RICE, DUX SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET
MONTIUM, &C.
PRINCIPES AC DOMINI INDULGENTISSIMI.

ILLUSTRISSE ET CELSISSE PRIN-
CEPS AC DOMINA, DOMINA DOROTHEA MARIA,
DUX SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM, &C.
PRINCEPS AC DOMINA PERCLEMENTIS.

PER-ILLUSTRIS AC GENEROSISSE
DN. COMES.

COETERI^{QUE} OMNIUM ORDINUM AUDITORES
HONORATISSIMI.



Eternitatis Servatores Hi-
storici memoriæ prodiderunt, Impera-
tori AUGUSTO nihil unquã gratius &
acceptius accidisse, quàm cum unanimi
Senatûs decreto, populiq; Romani consensu PATER

B

PA-

PATRIÆ publicè renunciaretur : Liceat mihi tanti Herois verba mea facere, & palàm effari, nihil mihi unquã gratius & acceptius accidisse, quàm cum RECTOR hujus inclutæ ACADEMIÆ renunciatus sum. Animus meus immensâ rerum multitudine obruitur, nec se lingua satis explicare potest.

Tuam inenarrabilem, TRIUNE JEHOVA, bonitatem sentio & experior, Tuum, Ô JEHOVA, hoc beneficiû est. Quid dicam? Serenissimi utriusq; lineæ Saxonicæ PRINCIPES me non sperantem nec cogitantem ad hoc honoris fastigiû, quô nec à me majus expectari, nec à quoquam illustrius offerri potest, clementissimè evexitis! post DEUM certè augustissimæ domui Saxonicæ hanc præsentem dignitatem me debere humilimè agnosco & meritissimò profiteor.

Felicem me jaçtarem, si modò obedientissimam meam mentem ullâ ratione declarare, & de universa domo Saxonica, illa Imperatorum & Regum, progenitrice, præsentis mei officii benè mereri possem. Serenissimi Saxonici PRINCIPES jubere, imperate vestrum volentissimo. Vester sum & ero *inexpugnabili vinculo* obstrictus.

Inprimis Serenissime GUILIELME, ingens Musarum Protector, divinam Tuam clementiam, quâ me immerentem prosequeris, non possum non Orbi ostendere, & per chartas memoriæ custodes in secula transmittere. Musarum cultores, quicquid excelsarum virtutum in omnium mundi seculorum Heroibus commendant, hoc omne in Te solo coaluit. Sed ut ad me redeam, magnis Tuis beneficiis plenâ manu in me collatis, inæstimabile beneficium superaddidisti, quod ab augusto folio Tuo descendere, & illustrissimâ præsentia hunc actum longè eminentiorem reddere
di.

dignatus es. Tanta est hujus beneficii magnitudo, ut illi ne cogitandâ quidem gratiâ respondere possim.

Est tamen, ut Romana Siren præten dit, *hominis ingenui, cui multum debeas, ei plurimum velle debere.* Vivam, Serenissime GUILIELME, heroicarum Tuarum Virtutum, quibus universam Germaniam implevisti, æternus admirator, vivam summi hujus beneficii debitor immortalis.

Celsissime FRIDERICE! eloquar an fileam? multisciam memoriam & inimitabilem eloquentiam non solum mihi, sed toti Auditorio obstupescenti ostendisti, nil nisi regius sermo etiam Tibi, ut existimo, non attendenti erumpit, vix audeo Te alloqui. Ita enim Orationis Tuæ Majestas mihi sacrum horrorem quasi incussit. At cum incomparabilem Tuam clementiam, quam mihi hâc hora, (dies me deficeret, si in enumeratione curiosus essem) supra omnem spem & expectationem clementissimè exhibuisti, paulò altiùs expendo, erigor ac

redit in præcordiis sanguis.

Illustrissime FRIDERICE! magni PARENTIS magna PROLES! scitè dixit, quicumq; dixit, *gloriam ac virtutem esse magnarum animarum pabulum.* Abundè mentem Tuam immortalitatis studiosam exsaturâsti & quasi saginâsti. Prostant & omniû oculis expositæ sunt virtutes Tuæ, quibus Te ad nominis æternitatem non ire, sed perumpere videmus. Sicut aves quædam vulgò esse creduntur, quæ pedibus carent & nunquam in terra subsidunt, sed sublimem aërem perpetuò pervolant; Ita animus Tuus cælo cognatus humilia & terrena spernit, excelsa, magna & cœlestia irrequietus meditatur & audet. Virtutibus Tuis laus nostra nihil quicquam addere valet. Tota Academia, quæ Tibi fasces

B 2

hu-

humilimè submitit, testis est robustissimus. Illa ingenium Tuum ad omnem stuporem promptum, iudicium subtile & acre. in rebus magni momenti pridem, agnovit & religiosè venerata est. Dubio procul toti Academiae maximoperè expediret, si sub TE RECTORE felici, felici successu diutius vivere posset. Voluntas tamen Tua nobis jure meritò imperium esse debet. Mihi tanto muneri impari fasces, quos felicissimè hactenus moderatus es, concedis, meisq; humeris PURPURAM, quâ magni Germaniæ PRINCIPES hactenus fulserunt, clementissimè imponis. DEUM immortalē! si omnes omninò Gratia ac Veneres in dictione mea manus abluissent, non tamen possem Tibi dignas agere gratias, beneficiis Tuis numero innumeris, Celsissime PRINCEPS! ferè effecisti, ut necessum habeam *ingratus vivere ac mori.*

Vestram quoque, PATRES ACADEMICI venerandi! summam benivolentiam abundè declarastis, dum Magni PRINCIPIS successorem pertinacibus votis me designastis, vestrum huic erga me affectum, exosculor, ac omni auro contrâ æstimo. *Tanti mihi est tantorum Virorum suffragium!* Gratissima mihi quidem est hæc provincia; sed tantum non hæreo & dubius reddor, dum considero, quod Magno PRINCIPi BERNHARDO successerit Magnus PRINCEPS FREDERICUS, qui uterque admiranda dexteritate Spartam hanc exornavit, omnemque gloriam occupavit ita feliciter, ut nominis æternitatem omnium applausu consecutus fuerit.

Fas mihi sit fateri & publicè exclamare

— *micat inter omnes*
Saxonum syans, velut inter ignes
Luna minores.

Quam.

Quamdiu Sala' noster rapido 'aquarum cursu' JENAM
alluet, quamdiu montes excelsi cingent JENAM, cele-
berrimam JENAM, tamdiu sine pari Exemplum Fra-
trum BERNHARDI & FRIDERICI commemorabi-
tur, magna & inclyta nomina BERNHARDI & FRI-
DERICI in sera secula ibunt, de prædicabunt illa

— *Nati natorum & qui nascentur ab illis.*

Ferè, inquam, PATRES CONSCRIPTI! attonitus
hæreo; Ipsa etenim accedit grandis negotiorum moles,
quæ magno huic muneri quasi agmine facto impen-
det, meque perterrefacit, ut retrorsum vela pandam.

Non enim Vobis, P. C. potest esse incognitum
tersissimi & Historicorum Πολιτικῶτατῶν Taciti moni-
tum. Omnes, verba ejus sunt, qui magnarum rerum con-
silia suscipiunt, æstimare debent, an, quod inchoatur, Reipu-
blica utile, ipsis gloriosum, aut promptum effectum, aut certè
non arduum sit. Hæc & alia, dum sollicitius exputo, & in
me descendo, spem prorsus decollant. Jacta tamen est
alea, audendum est aliquid. Ipsi Serenissimi PRINCI-
PES urgent, imperant, cogunt. Ipsi P. C. videmini
me vultu quasi invitare & amicè provocare.

Perpicaci sanè consilio mihi adjunxistis Admo-
dum Reverendum Dn. D. Job. Ernestum Gerbardum,
celeberrimi Parentis celeberrimum Filium, qui ede-
cumatâ eruditione & exquisitâ prudentiâ me fortiter
sublevabit; non certè ruet cœlû hoc, dum à tali Atlan-
te fulcitur!

QUOD igitur benè evenire jubeat
immensæ bonitatis DEUS.

EGO OTTO GUILIELMUS KÖNIGSMARC,
insignia Academica ab Illustrissimo DN. FRIDERI-
CO, fundatorum hujus Academiae gloriosissimæ me.

C

mo.

MACTI
moriæ PRO-NEPOTE eminentissimo accipio, meq;
hujus Salanæ RECTOREM ELECTUM & solennis-
simè declaratum publicè profiteor. Ne præsentibus
excidam ausis, *TE, SVMME JEHOVA!* supplex
veneror & oro, clementissimè mihi largire vim supe-
ram, cuncta animaturam, quò RECTORATU fungar
ex Tua voluntate & beneplacito piè, ex voto Patrum
Academicorum quàm maximè decorè, ex usu fructuq;
floquentissimæ juventutis quàm felicissimè.

Finem dicendi facerem, nec amplius disertissimo
huic Auditorio impolitiori sermone obstreperem, nisi
Magnorum PRINCIPUM Exempla & imperia me ta-
citâ vi impellerent. Imò Vos omnes ex more adulto
à me plura videmini præstolari. Dicam ergò quædam

de Purpura Rectorali,

Orationi præsidium & debitam Auditorum benivo-
lentiam ab ipsa favorabili materia sceneraturus.

ORdiar ab ipsa re, nec in viæ devias declinabo.
Purpura è colonia Græca in Latinam demigrasse
videtur, quam tamen liticulam curiosis Grammaticis
relinquo. Ipsi temporum præcones referunt, Purpu-
ram inventam à monstrorum Domitore Hercule, &
esse colorum Reginam.

Purpura, ædepol! summum & regium insigne
est, quod facilè, si liceret in campum Historico-Ro-
manum divagari, ab infantia Urbis septicollis audaci
diligentiâ repeterem. Sed cum Roma Romam sæ-
piùs mutaverit, omnia brevi stylo comprehendi ne-
queunt. In statu certè regio & Monarchico omnes,
quod sciam, constanter asseverant, & amicè quasi con-
jurant, purpuram fuisse Majestatis signum. Hinc Pli-
nio & aliis è Latio viris purpura sumitur pro ipsa Maje-
sta-

sta-

state. Purpura IMPERATORUM, REGUM & PRINCIPUM est ornamentum, quod viles & abjectæ è plebe animæ non ambiunt. Ut enim umbra corpus insequitur; sic illi immensa concatenata negotia quotidie incubant. Ardua, *Auditores!* ardua res est, alios felici successu regere, ut hinc prudenter DIOCLETIANUS IMPERATOR dixerit: *Nil difficilius esse, quàm benè imperare.* Percepistis, communi ferè Gentium consensu Purpuram Magnatum esse habitum; Sed dicetis, à quo ergò Academia hanc indeptæ sunt Purpuram? Rem nullo velo obnubam.

GREGORIO SEPTIMO Pontificii Regni Conditori aliisque ejus successoribus, potissimum verò PAULO SECUNDO adscribendam esse existimo. Inde purpureum hunc habitum ab initio descendisse à Pontificibus ipsamque nostram epomidem æmulari Cardinalitium ornamentum, extra dubitationis aleam positum esse videtur. Cui autem bono Pontifices concessere Academiis coccineam vestem? Non certè in honorem Professorum & Studiosorum, sed ut & illæ à *Curia Romana* immediatè dependerent, ac imperium Magnatum armatis precibus excuterent.

Meliùs COESARES, REGES & PRINCIPES de Academiis olim meriti sunt, & hodiè præclarà cum laude merentur. Ex multis pauca Exempla commemorabo. Inviçti VENETI Academia Patavinæ RECTORI non solùm concesserunt purpuram, sed etiam auream stolam, imò quemlibet Rectoratu abeuntem maçtant honore Doctorali, torque aureo, illumque creant Equitem S. Marci. Quod magis miremini, *Auditores!* magni nominis Imperator CAROLUS V. cùm Lovanii esset, Rectori Academia cessit loco & latus textit. In Lutetiana Universitate RECTOR ejus

præcedit Nuncium Apostolicum, quem tamen illi, qui luridum sputum Pontificis lingunt, ad Deos evehunt, & tergeminis tollunt honoribus. Non possum non occasione velificari & aliquid indulgere fecunditati materiæ. Christianissimus REX Parisiensem Academiam tanti æstimat & laudabili amore deperit, ut eam *primogenitam* suam *Filiam* appellet. Ita etiam PHILIPPUS II. Brabantix Dux, cognomento BONUS, Universitatem Lovaniensem *Filiam* suam honorificentissimè nominat.

Prorsus alio opinionis Euripo *Moscovite* seducuntur, qui nullas admittunt Academies, ne per subtiles & eruditos viros Hæreses introducantur, & quod palmarium est, ne quis *Moscho Rege* sapientior & doctior videatur. Verùm hæc supina sunt argumenta, quæ neminem, nisi iratis Musis natum, in assensum rapiunt. Quid barbarâ sententiâ aures vestras ferio, & lapides loquor? Transeat spinturnitium & nugæ. Perpendite potiùs, *Auditores!* sublimes imò Regios honores, quibus Magnates indignante & fremente *invidia* Academies affecerunt. Illi enim optimè exputârunt, Academies esse universi Orbis Christiani Musæa, ex quibus omnis generis à solidâ & accuratâ eruditione parati & instructi Viri proveniunt: Theologi, qui doctrinam Evangelicam illimem puramq; servant, & Jcti, qui tanquam Atlantes Rempublicam salubribus consiliis statuminant. Magnatibus his album calculum adjecit præsens GUILIELMUS *Heros* animo & dextrâ invictus; Academies utpote solidioris literaturæ officinas, & generosiorum ingeniorum Altrices tuetur, fovet & honorat. Antequam pax aurea niveis apud nos circumvolaret alis, impetum Gradivi in Salanam, annon fortiter repressit & animosè declinavit;

navit; Ut ex infinitis ejus beneficiis unum modò attingam. Omnibus illis impræsentiarum maximum adjecit, quod magnas Spes Filios suos charissimos tanquam amoris paterni Obsides Academia huic indulgentissimo affectu crediderit, & Purpurâ Rectorali circumdatos Ipsemet viderit. Sublime hoc est beneficium, quod nos æternis astris inferemus & post-futuri. Sed quò provehor! Appositè judicavit *Scaurus*, non minus magnam virtutem esse scire desinere, quàm scire dicere. Verba in divite rerum copia mihi non desunt.

Ast ne vobis, *Auditores!* prolixiori sermone senio sim, Colophona Orationi imponam & me convertam ad Nobilissimam Studiosorum Concionem. *Philosophus è Stagirà* dixit: *In Legibus salutem civitatis esse sitam.* Rem paucis firmabo. *Spartana* Respublica per aliquot secula stetit libera, nullique Tyranno colla submitit; rationem *Thucydides* non affert prægnantior, quàm quod optimis (scilicet *Lycurgi*) legibus administrata fuit. Et quemadmodum, *Troja* tamdiu invicta mansit, quamdiu *Palladium* in ea servabatur; Eo autem tutelis Græcorum sublato, hostis civitatem

— *somno vinoq; sepultam*
ingrediebatur, illamque funditùs pessumdabat; Ita & Respublica salva est, si leges sanctè custodit, ruptis & ejectis legibus vitia effreni impetu Rempublicam invadunt, & tandem propriò gladiò jugulant. Tanta est legum necessitas! Hanc PRINCIPES, Fundatores hujus Academiae Munificentissimi curiosè considerant, dum *Ter-trium Dearum* sedem & hanc Rempublicam Scholasticam immortali gloriâ instituerent. Legibus studiosam juventutem alligârunt tanquam mollibus compedibus, ne quidam licentiosâ libertate

nimis exorbitarent, & extra decori limites errabundi
vagarentur.

Adulti moris est, has leges in aditu RECTORA-
TUS publicè prælegi, quò eò altiùs in animis vestris de-
figantur. Igitur Tu, qui Academiae *Secretarius* audis,
inferiorem cathedram occupa, & Civibus Academicis
leges propone!

Exaudivistis boni civis munia. Olim aliquando
Athenis quibusdam objiciebatur, eos scire, quæ recta
sunt; sed nolle facere. Agite ergò, ea factis exequimi-
ni, & pleno gradu animosi contendite ad

Edita doctrina sapientum templa serena

De obedientia vestra quid addam? Nostis sine me
Monitore, quantus honor Magistratui debeat. Me-
mini me apud prælaudatum *Tacitum in Annalibus* le-
gisse, *L. Syllam* coram Senatu Romano fuisse reprehen-
sum, quod *Domitio Corbuloni* Præturâ functo in specta-
culis gladiatorum non decesserit loco. Tanti æsti-
mabant Romani Magistratum, ut etiam in re minima
ejus auctoritatem graviter vulnerari judicarent. Quan-
ti Magistratum Academicum veneramini, præclarè &
laudabiliter hætenus declarastis, ita ut de promptitu-
dine obedientiæ vestræ dubitare mihi religio sit.

Quod restat, ad Te, MAGNE JEHOVA! qui es
sine principio Principium, absque fine Finis,
exoraturi supplices venimus, quò Serenissimam Domũ
Saxonicam universam clementissimè in Pylios annos
velis servare, augere, ac propagare. Nostræ Academiae,
MAGNE JEHOVA! ita clementissimè benedic, ut
immota subsistat, quàm diutissimè floreat, Ingentium
Animarum meritis & sublimi famâ supra vim anno-
rum magis magisq; ascendat.

Horrida Barbaries aufis ingentibus Orbi
Incubat, & tentat nostras cispellere Musas
immani feritate Exarmatura! Triumphum
Spirat, & urgēdo truculentior imminet Hostis.
Dispersæ Musæ nil profectura reponunt
Arma, nec indomitam possunt compescere
bello

Barbariem! Tandem profugas defedere Musas
Occipiunt Academiæ, victricibus Armis
Barbariem excindunt, & fortibus Argumentis
Expellunt, veteri Musas in sede locantes.
Hinc Academias, tanquam Capitolia magna
Pieridum, Divi Reges venerantur, & ornant;
Magmina multa brevi nequeo comprehendere
versu,

Latiùs in laudes istas Oratio præsens
Excurrit; Clarius quorsum me surpuit Ignis!
Gratulor, ac addo fallosi nescia vota,
Dum Tibi Palladii fasces traduntur Jënæ,
Circumambitq; Tuum latus ardua RECTO-
RALIS

PVRPURA, Sarrano lætus sic fulgis in Ostro.

D 2

Saxo-

Saxonis alta Domus tanto Te maectat honore,
Cū primis (meminisse decebat) maximus Heros
VVILHELMUS, Divique Patris divina Pro-
pago

BERNHARDUS, FRIDERICUS, Magnani-
mi ac Animosi

HEROES Magno Divorum à sanguine Nati.
Sed quid agit nostræ tenuis sartago Camœnæ?
Ad Te, qui generosa tenes Insignia Regni
Palladii, redeo, vetus hoc FELICITER acclamo.
Insequere INVICTI PATRIS sublimia facta,
Magnaque, quo Genius Te Terapit altior, aude.
In stadio doctrinæ ME PRAEEUNTE paratus
Ulterius pergas: Sic Spes implebis opimas,
Quas certo Augurio totus modò concipit Or-
bis.

Ità
PER ILLUSTRIS DN. COMITI
*de Magnificentissimæ regiminis Acade-
mici Dignitate animatus gratulatur*

EBERHARDUS GRAVE.



H. Lav. B. 90, 26